

fertur: Si vero juxta conscientiam hanc abstinet à carne suillâ, non peccat. Vid. Azor. *Instit. moral.* l. 2. c. 8. qu. 8.

§. 20. Conscientia opinativa vel probabilis est judicium intellectus practici, quod dicat aliquid esse faciendum vel omittendum ob rationem probabilem: Probabilis autem ratio est, quæ licet moveat intellectum ad alterum oppositorum, tamen eum relinquit sub formidine oppositi, ut existimet, fortè etiam pro oppositâ sententiâ rationem firmiorem adferri posse. Convenit hæc cum conscientia rectâ, quod utraque rectè judicat: differt ab eâ, quoad certitudinem: recta enim nititur jure divino vel humano, adeoq; judicium ejus cum certitudine est conjunctum: opinativa verò vel probabilis conscientia cum tantâ certitudine non est conjuncta. Exemplum conscientia probabilis deprehendere licet in Magistratu, qui furem damnavit ad laqueum, ubi tamen accidit, ut rupto laqueo fur de patibulo decidat; hic sane res in utramque partem disputari potest, an talis fur rursus suspendendus sit, an non? ubi Magistratus conscientia probabilis dicat, furem hujusmodi esse suspendendum & strangulandum, ob rationem probabilem, quia pœna mortis ipsi decreta est, ut non solum suspendatur, sed suspendio etiam vitam finiat: rectissimè igitur huic conscientia consultitur, si rationes ab utraq; parte probè ponderentur, & in fortioribus animus acquiescat, nec inde se dimoveri patiatur, donec solidiores rationes adducantur.

§. 21. Niti ergò hæc conscientia debet rationibus non infirmis, quæ facile difflari & solvi possint, sed talibus, quæ in animo conscientiosi relinquunt stimulum, propter quem in unam partem magis, quàm in alteram inclinet, quamvis non sine formidine oppositi. Deinde niti debet hæc conscientia ratione, quâ quis probabiliter & securè, sine peccato niti queat: nam hic non semper considerandum est, quid probabiliter fieri possit, sed etiam quid fieri expediat, & tutius sit, imprimis ne quis suspitione se maculet, quæ Viro Christiano omninò præcavenda est. Cum igitur metus est, posse aliquem deflectere à rectâ viâ, licet probabili ratione aliquâ nitatur, satius est, & conscientia rectius consultitur, si tutiorem eligit viam, quàm si rationem probabilem sequitur.

§. 22. Cæterum potest judicium conscientia opinativa formari vel à docto, vel ab indocto, vel ex opinione propriâ vel alienâ: si doctus sibi format judicium hujus conscientia: tutò niti aliquando potest opinione propriâ vel ratione à se excogitatâ vel inventâ, ut alii diversum sentiant. Fieri enim potest, ut doctus, si rationes opposita partis, eò, que